

creatibus, mesenterii, ventriculi, pulmonum, cerebri &c. è quorum sede cordis actio tantùm eminùs & consensualiter afficitur. Negari quidem non possunt exempla inflammationum cordis, aortæ, auricularum & paricardii, item calculorum, ossificationum & polyporum in hisce partibus: sed hæc rara sunt, & partim diu interdum sine febre afficiunt, partim forsitan palpitationem aut tremorem cordis potius, quam febrem veram producerent.

EFFECTUS FEBRILES. THESIS XXIII.

Febribus effectus sunt celerior liquorum expulsio, propulsio, stagnantium agitatio, omnium permixtio, resistentis subactio, coctio, secretio cocti, crisis ejus, quod stimulo & coagulo febrim produxerat; sanorum mutatio in morbosam indolem; sanorum mutatio in indolem aptam ferre ea, quibus minus assuetus erat aeger; liquidissimi expressio; reliqui incrassatio; sitis, caloris, doloris, anxietatis, debilitatis, lassitudinis, gravitatis, anorexiæ productio (a).

Justè loquendo, omnia symptomata febrim comitantia ejusdem effectus dici debent: sive ea ab ipso auctiori humorum motu per- & in vasa, sive a materiæ febrilis copia, corruptela aut decubitu in aliquam partem oriantur: seclusis tantùm illis, quæ non ab ipsa febre, sed a causis exter-
nis,

(a) BOERHAV. Aph. 587.

nis, puta frigore, calore, pathemate, alimento, medicamento febrieni accedunt, epigenomena dicta.

Potissimum verò eae mutationes hoc loco memorabiles sunt, quae per febrem in solidis & fluidis efficiuntur bono vel malo sanitatis & vitae eventu.

Optimus effectus est, materialem febris causam, sive retentum perspirabile, sive humor viscidus & tenax in vasis impeditius fluens aut alicubi viscerum stagnans, sive acre aut aliud alienum fuerit, motu febrili moderato neque nimis impetuoso sensim subigi, solvi, mobilem reddi; & vel insensibilis perspirati specie, ut in febribus levissimis fieri solet, per cutem difflari; vel sensibili quādam evacuatione per sudorem, vomitum, diarrhēam, urinam, salivam nomine criseos inter remissiora symptomata eliminari (*a*).


Minùs tutum est, vasa nimio circulationis impetu ita distracti & debilitari, ut metus fiat cœdematis aut hydropsis futuri: vel dissipatis sudore caloréve liquidioribus inspissari reliqua & inflammationes in- vel externas excitari: vel febris vim languidiorem esse, quām ut suscitato motu densata & coagulata quasi liquida resolvere possit, perstantibus & invalescentibus ea de causa obstructionibus, ægrōque manente valetudinario. Vel denique materiam criticam ad vasa quædam obstructa, dilatata, aut etiam erupta deponi, unde alii morbi succedunt, ut maculæ, pustulæ, phlegmonæ, erisypelata, tumores, abscessus, hectica, phthilis, scirri, gangraenæ, sphaceli (*b*).

Pessimum est, humores valde acres, uti de malignis dicetur, nimio febris impetu ad tenerima cerebri aliorumque viscerum vitalium macerata jam vascula impelli, horum erosiones, rupturas, suppurationes & citissimè adrepentes

(*a*) BOERHAV. Aph. 594.

(*b*) BOERHAV. Aph. 593.

pentes gangrænas causaturos: aut sanguinem nimis densum & immeabilem in eadem vasa vitalia cerebri, pulmonum &c. impingi, subsecuturis itidem vehementissimis inflammationibus, suppurationibus aut gangrænis, plerumque inevitabilis interitus causis (a).



DIVISIO FEBRIUM.

THESIS XXIV.

OMnes febres communiter & primariò dividuntur in duas classes continuarum & intermittentium.

Quidquid febrium est, ad hasce duas classes reduci potest, ut ut cæterū ratione aliorum symptomatum diversissimas facies exhibeant. Centena quidem nomina febrium reperias: sed haec quemadmodum a singulari quodam symptomate profecta sunt, ità particulares febrium affectiones declarant, ipsas verò classes primarias non immutant, uti ex sequentibus patebit.

Fundamentum autem hujus divisionis in modo constitut, quo febres omnes solent decurrere: vel enim conceputam pulsū velocitatem aliisque caloris & ægritudinis symptomata usque ad finem morbi continuant, vel diversis accessionibus statu tempore redeuntibus decursum suum absolvunt. Itaque

THE-

(a) BOERHAV. Aph. 592. Vid. v. SWIETEN Comment. in prædictos Aphor.